



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Theresa V. 4. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

rat, locandus, ultimum se mortalium
sed inter sceleratos principem dixit,
Mariæ addictum fuisse ille non dubita-
bit, qui noverit, quæ gaudia in ejus æde
(de Portiunculâ dixerunt) abstulit. Sed
frustrâ sum. Herculem ego in hâc digi-
tali tabellâ non pingo. Vin' compen-
dium lector viri? Totum Christum in
Francisco videbis, si vulnera ejus in-
spicies. *Ex D. Bonav.*

S. THERESA V. 4. Octobris.

Quid, heu! quid cum prætextatis
verbis tibi prætextata malè turba?
disce, eja infantia rectè vel ab infante
THERESA fari. *In æternum! in æter-
num! in æternum!* ah quoties balbu-
riens clamitavit. Nos scilicet puerilem
senectam, non senem æternitatem in
animo & linguâ gerimus, disertissimi
infantes. At THERESA parvula cum
parvulo fratre domo paternâ aufugit,
ad Mauros abitura & brevi morte lon-
gam æternitatem auspiciatura. Vivere
tamen Deus illam, & ut viveret, quæ
ferè mors est liberorum, mori matrem
voluit. Illa Matrem vicariam celo MA-
RIAM advocavit, nunquam abhinc
orba futura. MARIA porrò filia suæ
sponsum Filium conciliavit, quando
ex sanctioribus amoribus Seraphinus
ales cor THERESÆ terebravit. Ipse
amor hominum Christus, quò certius
illam

illam sauciaret, sua vulnera dilectæ impressit, occulta tamen, ut ferè solet, amor. Adfuit deinde saxe sponsæ, nunc cruce pro more chlamydatæ, nunc spineâ, quæ illum maximè decet, corollâ ornatus, nunc qualis mortem triumphavit, conspicuus. Arrha ab eodem data gemmæ quaternæ & pendula è Rosario Cruci additæ, Dos vero omne cælum: cuius opes cum quandoque THERESÆ CHRISTVS ostentasset, *viden'*, agebat, (tute tibi lector dictum puta) *quantis se bonis peccatores spolient?* Sed & veste nuptiali cum Ordinem, quem Carmelitarum dicimus, restauraret, Virgo MATER & VIRGINIS SPONSVS IOSEPHVS cælo allatâ exornarunt, ut nihil jam ad nuptias deesset, nisi quæ facem præferret, anno M. D. LXXXII. mors beata. Ex vita.

S. MEINVLPHVS C. 5. Octob.

Vix MEINVLPHVS illa Christi verba audierat: *Vulpes foveas habent & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*, cum apud se constituit non solum Christo locum in animo suo facere (ubi enim ille libentius nidularetur?) sed & templum ponere. Circumspicienti aream, delapsa cælo in silvas lux & cervas inter Crucem cornu præferens cervus signavit. Eo igitur in loco Deo & virgi-